

quod externis occupationum tumultibus impulsum a semet ipso corruat, studere incessabili ter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est enim quod praelatum gregi discipulum Paulus admonet, dicens: dum venio attende lectioni. Hinc David ait: quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Hinc Moysi Dominus de portanda Arca praecepit, dicens: facies quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor Arcae angulos, faciesque vectes de lignis sethim, et operies auro, inducesque per circulos qui sunt in Arcae lateribus, ut portetur in eis, qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis. Quid per Arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi: quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, proculdubio quatuor sancti Evangelii libris accincta praedicatur. Vectesque de lignis sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur; quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quaerendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhaerentes, sanctae Ecclesiae unitatem denuntient, et quasi intromissi circulis Arcam portent. Vectibus quippe Arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes praedicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitae splendore fulgescant. De quibus apte subditur: qui semper erunt in circulis, nec umquam extrahentur ab eis. Quia nimirum necesse est, ut qui ad officium praedicationis excubant, a sacrae lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubentur, ut cum portari Arcam opportunitas exigit, de intronitendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spiritale aliquid a subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valde est si tunc quaerat discere, cum quaestionem debet enodare. Sed circulis vectes inhaereant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes,